Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sine solitudinis, quia omnis via vite presentis plena est siccitatis et amaritudinis.

Populus autem in deserto natus est incircumcisus, quia homo in iniquitate conceptus et de muliere natus, tametsi per gratiam mediatoris Christi vinculis originalis peccati in baptismo sit absolutus, multiplicibus tamen actualium culparum sordibus est involutus. Donec consumerentur, donec mortis debito a luce presentis vite extinguerentur. Qui vocem domini non audierant, qua eis lignum scientie boni et mali interdixerat, et quibus ante iuraverat, cum eos in amena paradysi habitatione collocaverat, ut ostenderet eis terram abundantem lacte et melle manantem. Terra enim mellis et lactis est persona unigeniti redemptoris, melle divinitatis et lacte referta humanitatis. Quam nimirum terram deus illis primis parentibus se ostensurum iuraverat, quia ipse dei filius ab eterno delicias suas esse cum filiis hominum dixerat. Unde ipse protoplastus de somno expergefactus et futurorum prescius, hos prophetie edidit cantus: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adherebit uxori sue, et erunt duo in carne una. Horum filii in locum patrum successerunt, qui de peccatoribus et mortalibus procreati peccati et mortis hereditatem possederunt. Hii circumciduntur a Iosue, quia electi omnes in futuro a peccati et mortis debito eruuntur a Christo redemptore. Quia sic nati fuerant, in preputio erant, quia sic nati mortales fuerant, mortalitatis conditioni omnes obnoxii erant. Nec eos in via aliquis circumciderat, quia nullus eos in presenti vita a debito mortis absolvat. Postquam autem omnes circumciderunt, scilicet postquam omnes electi in futuro a debito peccati et mortis per gratiam Christi redemptoris eripiuntur, manent in eodem castrorum loco, in illo lato et opulento, nec non glorioso celestium mansionum palacio. Donec sanentur, donec ab omni languore putride corruptionis suavi medicamento eterne visionis reficiantur. SEQUITUR.

Dixitque dominus ad Iosue: Hodie abstuli obprobrium Egypti a vobis. Vocatumque est nomen loci illius Galgala usque in presentem diem. Manseruntque filii Israel in Galgalis, et fecerunt phase quarta decima die mensis ad vesperam in campestribus Iericho, et comederunt de frugibus terre die altero azimos panes et polentam eiusdem anni. Defecitque manna postquam comederunt de frugibus terre, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel, sed comederunt de frugibus presentis anni.

Dominus ad Iosue loquitur, cum deus pater terre chanaan unigenito suo in futuro pro redemptione humani generis congratulatur. Hodie inquit abstuli obprobrium Egypti a vobis, quia in hoc eternitatis die, qui non clauditur fine, obprobrium maligni temptatoris et accusatoris, qui abyssi addixit tenebris, abstuli ab omnibus electis meis. Unde nomen loci illius Galgala vocatur, quod revelatio interpretatur, ubi revelata facie nos omnes gloriam domini speculabimur. Usque in presentem diem, usque in illum eternitatis diem, quem semper habebimus presentem, quia indeficientem. Filii Israel in Galgalis manent, quia eterne visioni appositi de eterne claritatis revelatione inestimabiliter gaudent. Unde est illud Esaye prophete: Oculus non vidit, que preparasti deus diligentibus te. Faciunt filii Israel phase quarta decima die mensis ad vesperum, quia omnes electi in celesti regno positi paschalis illius agni concelebrant mysterium, quem in redemptoris typum quarta decima die mensis ad solis occasum lex decrevit offerendum. In campestribus Iericho, in odoriferis celestis regni mansionibus liliorum et rosarum decore vernantibus. Comedunt de frugibus terre, que sunt pascua interna eterne vite. Altero die, qui est dies resurrectionis scilicet. Unde Iohannes dicit in apocalypsi sua: Beatus qui habet partem in resurrectione prima. Comedunt azimos panes, qui sunt sensus interiores et exteriores eterna incorrupti